



**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita mulieris fidelis, quæ mira sapientia virum suu[m] gentile[m] ad fidem  
conuertit. Capvt CLXXXV.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](#)

eam ex magna parte immunita. Ecce quam vim sibi intulerunt continetes monachi, se ipso propter Deum his necessitatibus subdentes, ut semper tenuis fruerentur bonis.

**I**DE M rufus nobis enarravit, dicens: Ingressum in eodem coenobio cellulam senis cuiusdam, vidique, quia ubi stare ad orationem solebat, tabula erat supposita. Vbi autem genua habebat, & manus, concauum erat plusquam digitorum quatuor. Ex frequentia quippe, & usu continuationis cauauerat tabulam.

- 1 *Vide altissimam paupertatem huius patris.*
- 2 *Magnum abstineniae genus, nulla penitus via pone.*
- 3 *Ecce quomodo prisci monachi magno continentiere gore vim sibi ipsis propter obtainendum regnum celorum inferebant.*

*Vita mulieris fidelis, quem mira sapientia virum suum gentile ad fidem conuertit.*

#### C A P V T CLXXXV.

**C**VM in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domini Pauli candidati, dicens: Cum essem in ciuitate Nisibæ, erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die vero quadam ait vir vxori sua: Demus haec numismata foeneratori, ut aliquod solatium ex capiamus. Ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona vir ait viro: Si placet ea foenerari, veni, demus illa sub focone Deo Christianorum. Dicit ei vir eius: Et ubi est Deus Christianorum, ut demus ei? Ait illa: Ego tibi ipsum ostendam. Si enim huic dederis

Cap

ea, non solum non illa perdes, sed & usuras tibi persoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus ostende mihi illum, & demus ei. Illa vero assumens virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam. Habet autem Ecclesia illa quinque magnas ianuas. Cum ergo induxit illum in Ecclesiam porticum, ostendit ei pauperes dicens. Isti si prebueris, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gudio numismata coepit erogare pauperibus, Reuersisque sunt in domum suam. Cum vero post menses tres necessitate sumptuum angustaretur, ait vir uxori sue: Soror, nihil, ut video, datus est nobis Deus Christianorum ex debito illo, & nunc angustamur in opia. Respondit mulier, & ait illi. Profecto dabit. Vade ubi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omnibus alacritate. Quo audito, ille currens abiit in sanctam Ecclesiam. Veniensque in loco, ubi erogauerat numismata pauperibus, & circuens totam Ecclesiam, neminem vidi, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuo sedentes. Cum ergo cogitaret in se ipso, cui diceret aliquid, vel a quo exigeret, aspexit ante pedes suos in marmore iaceere numisma unum ex illis, quae pauperibus ipse erogarat, inclinansque se, & accipiens illud, abiit in domum suam, & ait coniugi sua: Ecce profectus sum in Ecclesiā, & crede mihi, mulier, quia Deum Christianorum non vidi, ut dixisti, nullusque mihi aliquid dedit, nisi quod hoc numisma ibi positum vidi, ubi ego prius erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter praestitit. Ille enim inuisibili potestate manus suae disponit hunc mundum. Sed vade, domine mi, eme nobis aliquid, ut comedamus hodie, rursusque ipse prouidebit nobis. Abiit ille,

ille, & emit sibi panem, & vinum, & pisces, & re-  
niens domum dedit vxori. Quæ accipiens pîce,  
cepit ipsum purgare, exenteransq; illum, inuenit  
in visceribus eius lapidem valde mirabilem, in  
ut miraretur mulier illius pulchritudinem. No-  
tamen sciebat quid esset. Seruatum autem ostendit  
reuerenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in  
pisce reperi. Videns autem & ipse miratus est qui-  
dem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen,  
quid esset. Cum autem comedisset, ait vxori: Da  
mihi lapidem, ut vadam, & vendam illum, si quid  
fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque  
enim, ut dixi, nouerat & ipse, quid esset, ut potest  
simplex, & rudis. Tulit itaque lapidem, & abiit ad  
trapezitam, cuius erat proprium talia emere, &  
vendere, inuenitque illum iam clausis omnibus  
egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) &  
ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille vero conside-  
rans lapidem dixit ei: Quid vis, ut tibi pro eo sol-  
uam? Ait autem ille: Da quicquid vis. Ad quem  
ipse, Accipe, inquit, quinque numismata. Putans  
autem vendor quia illuderet sibi, dicit ei: Et tam-  
um vis pro illo perso uere? Existimans trapezi-  
ta, quod ita ille per ironiam loqueretur, ait ipi:  
Accipe decem pro eo numismata. Vendor ite-  
rum se irrideri arbitrans, tacuit: Dicit illi Trape-  
zita: Viginti numismata accipe. Ille autem tac-  
bat nihil respondens: Cum verò ad triginta, qua-  
draginta, & quinquaginta numismata emptor  
ascenderet, & se daturum ea iuramento affir-  
met, cœpit ille amplius lapidem aestimare. Pauci-  
tim verò emptor ascendens usque ad trecenta nu-  
mismata peruenit, deditque illa vendenti. Ipse:  
gitur, dato lapide, acceptaq; pecunia, venit ad ve-  
rem suā gaudens. Que cum videret illum exultan-  
tem

tem dixit: Quanto illum vendidisti? Putabat autem quod illum quinque, vel decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa vxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa vero summam diuinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei: Ecce Deus Christianus qualis est, qui m bonus, quam gratus, quam diues, Vides quia non solum quinquaginta numismata tibi reddidit, que tu illi mutuasti, sed paucis diebus ipsa tibi sextuplicata restituit? Agnosce ergitur, quia non est Deus alius, neque in terra, neque in celo, nisi ipse solus. Ille vero miraculo admonitus, cum experimento didicisset & ipse veritate, effectus est repente Christianus, & glorificauit Deum, & Salvatorem nostrum Christum cum Patre, & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissime uxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsa in veritate concessa est.

Vita Moschi mercatoris Tyrrij.

C A P V T CLXXXVI.

PER EXIMVS in coenobium speluncæ Abbatis Sabæ, ad Abbatem Eustachium ipsum coenobii patrem, narravitque nobis dicens: Erat Tyri mercator quidam, nomine Moschus. Is nobis, cum Tyrum venimus, hoc retulit, dicens Cum essem super commercia, profundo vespere abi lauatum, & in via repe i mulierem stan tem in tenebris. Ad quam ego ubi perrexi, consensit sequi post me. Prae diabolico itaque gaudio non laui, sed ad coenam properavi, multumque orabam illam, ut comederet, sed illa gustare requiebat, passa non est. Tandem surreximus. Et cum ad cubandum venissemus, vellemque illam amplexari, voce magna cum lachrymis clamauit dicens:

Væ